Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2793

Quelle:
Copyright:

(Angſter, *vas collo anguſto*) vini cenſentur, et ex quo conjici poſſit, quanti ſapientiam emerint tot Exteri aetate illa *Patavium* celebrantes.

XXV. *fol.* 261. p. 2. Acta quaedam ad *Johannem Karſchaw* licentiatum in Decretis ſpectantia et I. quidem *Decretum*, quo is *Friderici* II. Comitis *Ciliae* et *Ulrici* filii ejus *domeſticus*, *commenſalis*, *procurator cauſarum*, *Conſiliarius* ac *Iuriſta* conſtituitur, datum *Cilie die Iouis penultima menſ. Iulij Anno domini M°. CCCC°. XXXIX.* II. *Mandatum* generale ad lites, et ſingillatim ad litem de Decimis in *Tſchakentburn* colligi conſuetis a Praepoſito et Capitulo Eccleſiae *Zagrabienſis* Comitibus *Ciliae* motam eidem *Johanni* ab iisdem Comitibus datum. *Actum Cilie Aquilegen. Dioc. in Caſtro noſtro Turri communiter appellato. Sub Anno domini MCCCCXXXIX. Indictione Secunda die Sexta menſis Auguſti* &c. Adduntur nomina teſtium *Barth. Glanyr* et *Joh. Mayſenräwtter* Armigeror. et *Nic. Dawſſe* oppidi *Preſſperg* civis. Item Notarii *Joh. Gerhardi de Yſſmbuſen* clerici *Magunt.* Dioec. III. *Breve* Eligibilitatis eidem *Johanni Karſchaw* motu proprio datum, ut puto, ab *Eugenio* IV. ad quaevis Beneficia Dioeceſium *Aquilej. Salzburg. Regensb. Biſunt. Gnezn.* et *Moguntinae. Sub V. Idus Marcij Anno Septimo.* Itaque 1438. IV. *Libellus ſupplex* ejusdem ad Papam, ut in cauſam *Nicolai Gramus*, de quo ſupra, Praepoſituram *Wratiſlavienſem* mala fide adepti inquiri jubeat. Sine nota chronologica. V. *Breve* Eligibilitatis ad interceſſionem *Friderici Ciliae* Comitis, ut videtur, datum *Martino* plebano parochialis Eccleſiae in *Tiuers* et Comitis praedicti Cancellario ad beneficia Dioeceſ. *Aquilej. Salzburg.* et *Strigon.* VI. Literae *Eugenii* Papae ad *Fridericum* praedictum, quae Reſponſum ad *Orationem* ſupra *N°.* 23. indicatam continent, Comitis propoſitum laudant, petuntque, ut etiam *Albertum* Regem Rom. in eandem ſententiam pertrahat, *cum ſit apud illum nemo tum etate, tum amplitudine, tum auctoritate et prudencia tum affinitate* (per Barbaram Cilienſem) *maioris vel gracie vel auctoritatis.* Abeſt nota temporis. VII. Formula *Examinis* teſtium in cauſa *Decimarum* ſupra *N°. 2.* memoratarum. *Florentiae* in Concilio eam agitatam fuiſſe patet ex interrogatione: *que ſit recta via de Morauia, Bohemia et per que loca ad florenciam.* Subjungitur: *Si in hac via fuit in krainburga in laybaco et zagrabia, quare per viam illam tranſiuit cum non ſit regia* &c. VIII. Libellus ſupplex Comitum *Friderici* et *Ulrici* ad *Eugenium* Papam, ut de hac *Decimarum* cauſa judices et arbitros conſtituat. Subjectum eſt *Eugenii* mandatum, ut Magiſter *Baptiſta de Roma* Auditor cognoſcat, cui et momenta rationum praedictorum Comitum contra Capitulum *Zagrabienſe* ſubpeditantur. Lis, ut ait *Balth. Ad. Kercſelichius Hiſt. eccl. Zagrab.*